Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2167

Quelle:
Copyright:

deo eternum viuat feliciter. Rectoris Academici munere functum hunc virum ad an. 1469. Fasti produnt. Opuscula porro in Tomum hunc recepta haec sunt: I. *Incipit prologus in tractatum de Spirituali vita anime Magistri Johannis Gerson Cancellarij Parisiensis.* Initium Tractatus: *Ego vos baptizaui* &c. *Antiqua iam atque nouissima Patrum traditione* &c. Finis: *ita et finem huius operis dedicamus.* Extat in edit. *Opp. Dupinio* tributa *Antverp.* sive *Amstelod.* T. III. p. 1. f. et cum secuturis *Gersonis* aliis multoties in variis *Bibl. Aug.* Codicibus, quod semel monuisse sufficiat, et ad *Indicem* ablegasse.

II. *fol.* 47. praemissa Tabula *Incipit liber primus hystorie quadripartite.* Historia haec IV. Libris constans *Apologos Morales* ad vitam informandam continet. *Apologus* I. sive *Dialogus inter Vulpem et Corvum* inscribitur: *Semper discе et in extremis horis sapientie magis operam adhibe.* Incipit: *Uulpes decrepita cupidine ardens sciendi* &c. Ultimus L. IV. *Prouerbium contra eos qui coitu vtuntur ad delectationem*, incipit: *Libidinosam passerem immoderato coitu se effundentem* &c. et finit: *Hys dictis quieuit.* Apologos hos S. cuidam *Cyrillo* tributos e *Cod.* membraneo, qui e Bibliotheca *Corviniana* ad *Joh. Fabrum* Episcopum *Vienn.* devenerat, splendido eo, sed vitiose exarato edidit apud nos *Balth. Corderius* e S. J. anno 1630. in forma 12. ratus eos e Graeco conversos, et eatenus nondum in publicum elatos fuisse. Sed in utroque deceptus fuit vir doctus; nam junioris utroque *Cyrillo* et latini hominis foetum esse agnovere post *Corn. a Lapide* in *Ecclesiasticum* p. 23. *Caveus*, *Oudinus*, *Fabricius*, alii, et prelo jam Sec. XV. f. l. et a. f. et 4. tum anno 1502 *Parisiis* apud *Joan. Parvum* in 8. sub titulo *Speculi Sapientiae* subjecti fuere. Quid, quod *Bibliotheca Gesneri* testatur, eos ante centum annos impressos, et in *Germanicum* etiam sermonem conversos publice extare. Et re ipsa rhythmis vernaculis inclusi a *Dan. Holzmanno* habentur *Aug. Vind.* 1571. 4. Itaque, quod addam, non est, nisi, abesse a *Cod.* nostro *Prooemium*, et ultimum *de duobus Tauris* Apologum, quae in suo Exemplo reperit *Corderius*, elocutionem praeterea in utroque *Cod.* non raro differre, ut ex contentione patuit.

III. *fol.* 95. *Incipit Tractatus de potestate ecclesiastica Magistri Johannis Gerson.* Prout extat *Opp. T. II. col. 225.*

IV. *fol.* 109. p. 2. *Incipit alius tractatus de nocturnis pollucionibus. Item de frequentacione sacramenti seu celebracione missarum.* Prout extat *Opp. T. III. col. 323.*

V. *fol.* 115. p. 2. *Instructio de visitacione cleri magistri Johannis de gerſona.* Prout extat *Opp. T. II. col.* 558.

VI. *fol.* 119. p. 2. *Incipit tractatus de confessione.* Initium: *Quoniam*